

simulato metu, hortari eum cepit, *ut se continendum praeberet, dum spiculum evelleret: etiam levem corporis motum noxium fore.* Rex quum adfirmasset, *nihil opus esse iis, qui semet continerent;* sicut praeceptum erat, sine motu praebuit corpus. Igitur patefacto latius vulnere, et spiculo evulso, ingens vis sanguinis manare coepit; linquique animo rex, et caligine oculis offusa, veluti moribundus extendi. Quumque profluvium medicamentis frustra inhiherent; clamor simul atque ploratus amicorum oritur, regem exspirasse credentium. Tandem constitit sanguis, paulatimque animum recepit, et circumstantes coepit agnoscere. Toto eo die ac nocte, quae sequuta est, armatus exercitus regiam obsedit, confessus, omnes unius spiritu vivere; nec prius recesserunt, quam compertum est, somno paulisper adquiescere; hinc certiores spem salutis ejus in castra retulerunt.

IV. TITUS LIVIUS. *

ARGUMENTUM.

Adventus Aeneae in Italiam, et ejus res gestae referuntur. Ascanii regnum Albae, et deinceps Silviorum. Numitoris filia, nati Romulus et Remus. Amulius obtruncatus. Urbs a Romulo condita. Senatus lectus. Romulus consecratus. Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit; Jano templum constituit; ejusque portam, pacatis omnibus circa populis, primus clausit; cum dea Egeria sibi congressus nocturnos esse simulans, feroces populi animos ad religionem perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petiit. Post haec trigeminorum pugna. Horatius absolutus.

* Ex edit. stereotypa Lipsiae, 1829.